EXAMINIS SOLENNIA

DIE XIII. MENSIS APRILIS ANNI MDCCCXXXV.

INDE AB HORA VIII MATUTINA ET II POMERIDIANA

IN

GYMNASIO CLAUSTHALIENSI

PUBLICE CELEBRANDA

INDICIT

HENRICUS JULIUS NIEDMANN

GYMNASII DIRECTOR.

INSUNT:

I. DE NECESSITATE, QUA JUDICES COACTI FUERINT CAPITIS DAMNARE SOCRATEM, DISSERUIT G. F. ZIMMERMANN.

II. SCHULNACHRICHTEN.

CLAUSTHALIAE

TYPIS ADOLPHI SCHWEIGERI.

DE NECESSITATE

QUA JUDICES COACTI FUERINT CAPITIS DAMNARE SOCRATEM.

Quicunque historiam omnium fere et temporum et populorum accuratius considerat contemplaturque, animadvertat necesse est, praestanstissimos viros, virtute maxime excellentes, qui praemia prae ceteris omnibus meriti essent, haec non solum non esse adeptos, sed etiam injuste a regibus populisque tractatos, calumniis pessumdatos ipsoque capitis supplicio esse affectos. Ejusmodi sors omnibus fere contigit, qui qualicunque re apud aequales fuere insignes. Dolore itaque misericordiaque afficimur, si duces et imperatores de re publica optime meritos, qui summis laboribus et omnium virium maxima contentione pro patria dimicarunt, in exsilium missos, aut alio quodam infortunio afflictos esse, relatum legimus. Cujus rei exempla ex historia antiqua et recentioris temporis petita nemini sunt ignota. Miltiades, qui patriam Persarum imperio liberavit, nonne in carcere mortuus est, postquam injuste accusatus mulctam

solvere damnatus fuit, quae totam ejus excederet rem familiarem? Themistocles autem, cui tota Graecia salutem debebat, quum pugnae navalis apud Salamina et auctor fuisset et versutus gubernator, innumeris a Lacedaemoniis praecipue petitus est calumniis, quum patriam urbem munitione tutam praestare vellet ab hostium incursionibus. Athenis denique pulsus ab hostibus benigne exceptus procul a patria diem obiit supremum. Aristides et Cimon, qui Atheniensium civitatem multis affecerant beneficiis, praemium acceperunt exilium, quamquam postea in patriam restituti sunt. Quis autem non indignetur, Phocionem, integerrimum illum et prudentissimum temporibus turbulentis rei publicae gubernatorem, morti datum esse invidia plebis et iracundia. Ejus generis exemplis addi possunt multa ex historiis recentiorum temporum desumpta, veluti Christophori Columbi, qui, postquam regi suo et domino novis terris detectis ingentium divitiarum, quarum maxime cupidus erat, aperuit fontem, catenis ornatus in Hispaniam est deductus. Quibus liberatus nunquam tamen obtinere potuit praemia, quae ipsi, quum novas inveniendi terras susciperet laborem, erant promissa. At non solum duces imperatoresque tanta invidia fatum esse persecutum comperimus, sed etiam, qui rerum cognitioni studuerunt vel alios et meliores et doctiores reddere tentabant, philosophi populorumque magistri, nefaria abrogantes perversaque instituta, quae in dei cultu ut sancta haberent sacerdotum improborum et dominandi cupiditas et avaritia persuasit populis, cruciatibus summis affecti periere. Alios vero, qui de literis bene meruerunt, hominum invidia odiumque eo usque persecuta sunt, ut omnium rerum torti penuria ignoti denique morerentur. Jam quis non lugeat optimorum, de re publica, de literis, de sincero veroque dei cultu optime me-

ritorum tam triste fatum? Quis vero est, qui praemia adipiscatur, cui bene sit, nisi adulatoribus, stultis hominibus et avaris, qui proprio tantum commodo consulunt?

Talia itaque reputanti hominum genus ingratum plane et in praemiis beneficiisque dividundis perversum esse videtur. Quamquam hoc crimen non plane dilui potest: facile tamen inveniet, qui hominum naturam paulo accuratius cognoverit, explicari quodammodo posse et excusari, viros excellentissimos apud aequales justis haud raro non frui honoribus. Multae ejus rei esse videntur causae, quarum aliae in universa hominum natura, aliae sitae sunt in ipsis illis summis viris, qui tanto a ceteris distant intervallo.

Gratus animus, qui perpetuo beneficiorum acceptorum memor sit, nunquam fere reperitur, ingrati contra animi vitium inter homines tam commune est, ut nemo fere sit, quin eo aliquando se laesum esse contendat. Haud raro tamen aliae subesse videntur causae, quae illius vitii opprobrium effecerunt. Primum earum locum tenet populorum inscitia. Nunquam certe judices Socratem impietatis reum damnassent, si tunc ejus doctrinam omnes talem cognovissent, qualem postea Athenienses eam discipulorum scriptis cognoverunt. Nemini autem vitio verti potest, non novisse, quod reliqui omnes ignorarunt, praesertim occasione non data rei alicujus accuratius cognoscendae. J. Hussius, cui fidem publicam dederat Sigismundus summus imperator, quo secure proficisceretur Constantiam, igne necatus est, quia sacerdotum auctoritate homini tam impio promissa solvi non oportere, admonentium, rex permotus tutela eum privavit. At quis eam ob causam Sigismundo imputare possit cul-

pam mortis sancti illius hominis, quia falsas, quibus omnes ejus aetatis homines tenebantur, missas facere non potuit opiniones? Totius illius temporis opinionibus falsis ubique propagatis culpa imputanda videtur, non hominibus. Quaecunque igitur inscitia peccata sunt, excusari certe posse videntur, quippe quae necessitate quadam, non voluntate hominum facta sint. Eamque esse causam, cur Socrates civibus suis injuriam ipsi illatam ignoverit, multis et Platonis et Xenophontis locis apparet. Praecipue hoc spectasse videtur Xenophon in Cyropaedia, ubi philosophus quidam, qui a Tigranis patre capitis supplicio affectus est, a filio petit, patri ne irascatur, *οὐ γὰρ κακονοίᾳ τινὶ τοῦτο ποιεῖ ἀλλ' ἀγνοίᾳ, ὁπόσα δὲ ἀγνοίᾳ ἄνθρωποι ἐξαμαρτάνουσι, πάντα ἀκούσια ταῦτ' ἐγὼ νομίζω.*

Saepenumero autem nec hominum ingratus animus, nec inscitia illud, de quo loquimur, sed totius cujusdam temporis rationes effecisse videntur. Florente re publica praeclara facta magnaque ingenia tam frequenter emergunt aliisque tam cito obscurantur, ut tempus deficiat de praemiis recte distribuendis cogitantes. Patriae solius spectantes salutem atque splendorem hominis singularis facile obliviscuntur cives, cujus et de re publica merita necessaria quodammodo esse videntur, et praeclara facta per se eum, qui ea perpetraverit, jam satis extollant. Id ipsum in summorum hominum sorte excelsum et divinum quodam modo esse videtur, quod eos obliviscuntur, immo calumniantur reliqui. Vivi illi vix accipere possunt aequum benefactorum pretium.

Pulcherrima tamen mortuis solvitur merces, summa illa misericordia, conjuncta cum admiratione quadam, quam intimo pectore sentimus. Itaque veneratione coluntur sincera ab extremis posteris,

qua omnes imbuuntur, quibus pulchri sensus verique innatus est. Jam nec neglecti esse videntur, nec pauperes, nec patria expulsi, nec mortui.

Plerumque vel hominum ingratum animum, vel inscitiam, vel denique temporis rationes nobilissimis hominibus exitium afferre, videmus. Postrema vero ejus causa ipsis innata et cum generoso eorum animo arcte est conjuncta. Quicunque enim magnis ingenii facultatibus egregieque factis in re publica excellunt, majora saepe poscunt, quam quae praestari possint, non injusta illa quidem, nec perniciosa civibus, sed adeo tamen aliena ab eo, quo reliquos omnes natura ipsa trahit, ut fieri plane non posse videantur. Si vero illi ausis, quamquam salutaribus, excidunt, populus apparet ingratus. Talis sors obtigit Aeschylo, qui multos per annos Athenis tragoedias docuerat pulcherrimas. His non solum profundae sapientiae doctrinam gravi et splendidissima oratione versibusque jucundissimis expressam civibus tradiderat, sed Atticam etiam historiam terramque celebraverat quam maxime. Quum vero artis operibus, quae priora splendore et pulchritudine excederent fere omnia, vetustum aliquod sanctumque fulcire vellet institutum, Areopagum, cui Ephialtae conatibus instabat ruina: quod voluit, non potuit impetrare, quamquam trilogia ejus pretium obtinuit. Aeschylus, qui ultimae nobilissimaeque veteris institutionis, quae populi perniciosissimam potentiam sola coerceret, occasum perferre non potuit, Syracusas sese contulit, ut ibi moreretur in aliena terra. Constat autem inter omnes, Atheniensium populum natura ita fuisse comparatum, ut ipsi a severa optimatum dominatione usque ad effrenatum populi regnum omnes reipublicae formae fuerint decurrendae. Qui cursus

paululum quidem retardari, nullo modo plane impediri potuit. Itaque Aeschyli conatus successum habere omnino non poterat. Sed vis magnis hominibus ingenita vix unquam ita coerceri potuit, ut temporum hominumque rationem illi haberent, aut bona fluxa fragiliaque majoris penderent, quam quod animo suo verum cognossent, quodque rebus omnibus postpositis, ante oculos ponere studerent mortis adeo periculo.

Ex iis, quae hucusque de hac re disputavimus, explicari posse videtur, cur excelsa egregiaque in hac vita perire soleant. Apparet itaque, historiae inesse vim quandam tragicam, quae eadem est cum vi tragoediarum optimarum et graecarum et recentium. Continetur autem haec vis tragica eo, quod divinum illud aeternumque homini innatum, ubi in conspectum venire et re vera exsistere coepit, perditur statim hujus mundi rationibus, plane illi contrariis, quo tamen ipso aeternum probatur et cum deo ipso conjunctum. Naturae ejus proprium est, inter homines evanescere, cum in aliis regionibus ejus sit sedes domiciliumque. Veram hanc mihi deprehendisse videor fati notionem, arcte conjuncti cum hominum natura indoleque; quicunque enim et veteris et recentioris tragoediae accuratius cognoverit praestantissima opera, res humanas ita comparatas esse facile intelliget, ut summis praestantissimisque viris, qui animo divinum illud excelsumque amplexi in hominum conspectum student producere, exitii semina innata sint, quo plerumque pessumdantur vel ipsorum culpa vel aliis causis in rerum natura positis, quarum supra nonnulla retulimus exempla.

Quod igitur historiam accuratius contemplantem animadvertere

necesse esse in initio dixi, quamvis nemini explicari non posse videatur: haud inutile tamen videtur, in causas rationesque inquirere, quibus effectum sit, ut unum aliumve virum praeclarum, qui praestaret ceteris omnibus aetatis suae hominibus, res humanas divinasque ceteris omnibus melius dijudicaret, innumeris beneficiis cives suos afficeret, et meliores eos reddendo et doctiores, non solum mercede justa fraudatum, sed irrisum etiam damnatumque capitis supplicio affectum videamus. Inter ejus generis homines haud ultimum locum tenet Socrates, sapientissimus ille Graecorum; quem ipsum potius in causa fuisse, cur morte dignus judicatus sit, quam judicum iram accusatorumque calumnias, demonstrare fortasse potero.

Accusandi condemnandique Socratis eaedem fere, quae philosophiae omnino infestandae fuere causae, quae triginta fere annos, antequam accusaretur Socrates, comico ansam praebuerunt ad irridendum illum in fabula pulcherrima. Omnium enim civium Atheniensium Socrates quum primus capesseret philosophiam, ceteris et ignotam et despectam, a reliquis philosophis sophistisque nihil videbatur differre, quo explicari videtur, cur Socrati ab Aristophane tribui potuerint, quae ab ipso tam aliena erant, ut contraria quaeque ei viderentur propria. Quamvis Aristophanes alium plane sequeretur finem, ac Socratis accusatores, mirum tamen in modum congruunt crimina, quae in illum conferunt utrique. Juvenes corrupisse deosque contemsisse, et in nubium fabula et in actione publica vitio vertitur Socrati. Aristophanes autem novam et educandi et rei publicae regendae rationem, quae a sophistis juvenes docebatur, perniciosam esse ostendere voluit, Anytus contra Melitusque

homines erant *πολιτικοί*, qui Socratem persecuti sunt, quia a philosophis omnino in re publica administranda se impediri putabant. Ut enim a philosophis utique metuere possent, qui rerum erant potiti, Atheniensium rei publicae effecit conditio, quae ita erat comparata, ut non ad certas quasdam rationes ubique sibi constanter esset instituta, sed legibus uteretur, quae partim vel e vitae usu vel e moribus majorum originem traherent, partim ad singulorum arbitrium essent factae. In ejusmodi autem re publica non omnia ad certam referri posse rationem, quod philosophiae proprium est, necessarium plane videtur. Jam facile fieri poterat, ut, quae vel a majoribus pridem instituta, vel a populo nuper jussa sancta haberentur, si a philosophis examinarentur, improba perversaque intelligerentur. Quod malum si latius manaret, totum rei publicae statum evertere posse videbatur. Nam quamvis Xenocrates, philosophos sponte facere praedicaret, quae reliqui legibus coacti facerent, bene tamen cognitum habebant, qui summos Athenis locos tenebant, si quid contra justum bonumque juberent, illos et facile hoc intellecturos, nec morem gesturos esse. Atheniensium autem rei publicae status tunc temporis ejusmodi erat, ut ea quotidie fere fierent, quae philosophis vix probanda viderentur. Quae cum ita sint, de diverso, quem Aristophanes in nubium fabula, quemque Socratis accusatores persecuti sint, fine vix potest dubitari. Apparet inde historiolam illam, quae jam temporum computatione refellitur, corruptum esse Aristophanem a Socratis accusatoribus, nihil veri continere, quamquam negari non potest, illos Aristophanis nubibus in adipiscendo fine fuisse adjutos, unde fortasse fabula illa est conflata. Tantum vero abfuit, ut cum Anyto Melitoque faceret Aristophanes, ut de re publica plane idem cum Socrate videatur

sensisse. Philosophos itaque fuisse metuendos in causa erat, cur omnes, qui rem publicam capesserant, ipsis essent inimici. Huc accedit, quod Sophistae, quique novo quodam modo erudirent juvenes, multo et celerius et rectius docere contenderent, quae ad concionandum et rem publicam regendam opus essent. Illi autem, qui huic rei antea studuerant, usu et diuturna exercitatione erant edocti. His rebus omnibus acerbissimum conflatum est odium in philosophos et sophistas, quorum numero cum adjungeretur Socrates externa specie, eandem cum illis perpessus est sortem. Haud exiguus enim illorum est numerus, quos ἀσεβείας accusatos esse, memoriae proditum est: Anaxagoras, quia solem lapidem igneum esse conjecerat, Protagoras ob libri sui initium de diis nescio, utrum sint, nec ne: Stilpo, qui per jocum Athenam deum non esse sed deam dixerat, Aristoteles ob Paeanem in Hermeam, Diagoras, Theophrastus, Theodorus Atheus, alii. Euripidi, qui philosophorum placita tragoediis intexuit, idem imminebat periculum ob versum praecipue aliquem: ἡ γλῶσσ᾽ ὀμώμοχ᾽ ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος. Horum tamen nullum fere capitis supplicium passum esse accepimus. Quod cur Socrati acciderit, ex accuratiore ejus causae cognitione apparebit.

Ante Heliastarum judicium Socratis causa acta est, quamquam Protagoras ab Areopago dijudicatus est eo tempore, quo potestas hujus magistratus ab Ephialte valde erat deminuta. Protagoras enim anno 411 vel 412 a. Ch. (Olymp. 92. 1. vel 2.) Athenis pulsus est. Tum temporis autem Areopagus priorem nondum recuperaverat auctoritatem: contra quum Socrates est accusatus, post triginta tyrannos expulsos maxima pars rerum, quae antea foro ejus addictae erant, ad ipsum iterum pertinebat. Quae discrepantia tolli non vi-

detur, si cum Meiero statuitur, de ἀσεβείᾳ judicium ab Ephialte Areopago ereptum post triginta tyrannos expulsos non statim ad ipsum esse delatum, quum δίκας φονικάς recuperaret. Si enim ab Ephialte usque ad finem belli Peloponnesiaci et ultra ἀσεβείας δίκη ad Areopagum non pertinuisset, de Protagora anno 411 a. Ch. non potuisset, judicare. Quamvis itaque post triginta tyrannos expulsos judicia Heliastarum de ἀσεβείᾳ adhuc judicaverint, tamen Areopagus antea non plane abrogatus esse putandus est; securitatis enim disciplinaeque publicae curam omnibus temporibus eum gessisse potius verisimile est. Ad quam curam quum pertineat sine dubio officium impietatis propulsandae, hoc praetextu ab Areopago Protagoram Athenis pulsum esse conjicimus. Eadem ratione explicandum videtur, quod eodem tempore de impietatis vitio et ab Heliastis et ab Areopago judicatum esse, traditur.

Judicii de ἀσεβείᾳ ἡγεμονία erat ἄρχοντος βασιλέως, qui si γραφή ipsi ab accusatore tradita erat, utrum res in judicium esset deferenda, nec ne, dijudicabat: ἀνακρίσεως negotium procurabat, quo pertinebat, ut accusati ἀντιγραφήν acciperet, quae et accusator et accusatus ad rem suam fulciendam haberent, audiret, documenta ipsi tradita, eaque, quae partes confessae erant, scripta asservaret in ἐχίνῳ, diem constitueret, quo res ante judicium agenda esset. Porro in ipso judicio judicibus tradebat calculos, partes introducebat; ἐχῖνον simul afferens, ut omnia rite procederent pocurabat, quam diu singulis loqui consessum esset partibus, multitudine aquae in clepsydram infusae constituebat. Postquam partes dixerant, judices sententiam dicere jubebat. Quo facto judicum sententiam referebat. Postremo omnia procurabat, quae ad illam explendam

facerent; capitis si quis damnatus erat, undecim viris ipsum tradebat βασιλεύς, qui poenam exsequerentur.

Plerumque licuit utrique parti bis loqui, accusator enim, quae ad defendendum dicta erant refellere, accusatus defensionem repetere poterat. In Socratis tamen causa utraque pars semel tantum locuta est, si Platonis Apologia veram ejus nobis ante oculos ponit imaginem, idque in actionibus publicis plerumque factum esse videtur.

Iis, quae dicenda erant, dictis calculis discernebatur a judicibus, accusatus utrum absolveretur, an criminis compertus esset habendus. Quo facto multis in causis judicum negotium fuit peractum, si quidem vel legibus, vel psephismate, vel pactis privatis constitutum erat, quid reo solvendum patiendumve. Talis causa *ἀγὼν* erat *ἀτίμητος*. Saepenumero vero hoc nec factum erat, nec factum esse poterat: tum judicum erat decernere, *ὅτι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι*, id quod in Atheniensium judiciis appellatum est *τίμησις*: *ἀγὼν* erat *τιμητός*. Ejus instituti ratio, quum ad Socratis causam recte dijudicandam plurimum faciat, digna videtur, quam paulo accuratius cognoscamus.

In universum is obtinuisse videtur mos, ut *γραφῇ*, quae judicii moderatori (*δικαστηρίου ἡγεμόνι*) traderetur, statim *τίμημα* aliquod adderet accusator, qua poena reum afficiendum quidve ipsi solvendum existimaret (*τιμᾶσθαι τῷ φεύγοντι, τίμησιν ποιεῖσθαι ἐπιγράφεσθαι τίμημα, ἐπίγραμμα*). Tum sententia a judicibus de accusati culpa lata, licebat accusatori rei precibus permoto, de poena,

quam primum posuerat, nonnihil remittere (συγχωρεῖν τοῦ τιμήματος) quod nisi faceret, τίμημα repetebat, quod in γραφῇ jam possuerat. Deinde reus, qua poena se dignum haberet, exponebat, quod ab Atheniensibus dictum est ἀντιτιμᾶσθαι, ἑαυτῷ τιμᾶσθαι, ἀντιτίμησις. Jam utrum judices alterum illorum τιμημάτων ratum facere debuerint, an potius aliam plane potuerint constituere poenam, non satis constare videtur. Si tamen ulla in causa hujus juris exercendi judicibus data est occasio, factum hoc est in causa Socratis, quamquam ab omnibus, qui de Socratis causa dixerunt, ne verbo quidem significatum est, ab ullo judice factum esse periculum, ceteros sententia sua permovendi, ut poenam imminuerent. E Platonis apologia Socratis, quam accommodate ad veritatem describere illam causam verisimile est, totius rei ordinem rationemque luculenter perspicimus. Socrates, postquam a majore suffragantium numero, qui tamen eos, a quibus absolveretur, paucis tantum superabat, capite fuit damnatus: primo quidem tantum abfuit, ut poenam sibi constitueret, ut beneficio se dignum judicaret, quo ii afficiebantur, qui bene de re publica meriti, in prytaneo publice alebantur, deinde vero potius ludendi judicii causa, quam quo re vera litem suam aestimaret, parvulam sibi poneret mulctam. Adversarii vero capitis supplicio dignum judicaverant reum. Quum itaque τιμήσεις rei accusatorisque tantopere inter se distarent, consentaneum esse videtur, quendam eorum, qui Socratem sententia absolverant, ut capitis supplicium mutaretur cum exilio aliave poena, ceteris judicibus persuadere conatum esse; multos enim fuisse, qui veram viri indolem cognovissent, vix est, quod dubitemus. Quod tamen non modo non factum esse videmus, sed multos etiam, qui ἐν τῇ πρώτῃ ψήφῳ absolverant Socratem, in hac altera in adversariorum partes

ivisse, memoriae proditum est. Cujus rei explicandae una illa nobis superest ratio, quod rei, accusatorisque τιμήσει neglecta medium aliquod ponere judicibus non concessum fuisse conjicimus. Ad quam sententiam firmandam facere videntur etiam alia quaedam.

Judicia illa Attica, in quibus de rebus publicis judicatum est, saepe e quadringentis amplius judicibus compositi erant. Facile autem est ad intelligendum, tantam perturbationem in omnibus fere oriri debuisse judiciis, si singulis judicibus aliam plane ferre licuisset sententiam, ut quid major judicum sentiret pars, vix potuisset indagari. Duae tantum appositae erant urnae, excipientes calculos, quibus judices in hanc illamve irent partem, qua vero ratione de tertia quadam sententia decretum sit, non apparet. Itaque judicibus vix accusatoris τίμημα licuit mutare, nisi suffragio rei poterant probare aestimationem. Quod etiam ex Aristotelis Politicis concluditur, qui Hippodamum quendam vituperat rogantem, ut judices sententiam suam tabulae inscriptam ita proferrent, ut alius aliam constitueret poenam, ostendens quanta inde oritura esset perturbatio. Denique ad sententiam nostram fulciendam preces faciunt, quibus plerumque reus adibat accusatorem, ut συγχωρῇ τοῦ τιμήματος, quaeque certe et ad judices essent factae, nisi ille maxime fuisset timendus. At dicat fortasse aliquis, ejusmodi institutum nonne perversum plane fuisset absurdumque, quum saepius potuerit accidere, ut nec rei nec accusatoris τίμημα probandum judicibus videretur. Quae dubitatio, quamvis speciem quandam habeat, facile tamen refellitur. Quum medium aliquod judices non possent probare: e re fuit et rei et accusatoris in lite aestimanda quam proxime accedere ad

aequitatem, quo facilius in suam iri posset partem. Causa autem Socratis tam profecto fuit singularis, ut ex ea vix conjici posse videatur, quid Athenienses in judiciis duxerint idoneum, quae enim ad reliquorum omnium naturam fuerint accommodata, ab indole Socratis maxime poterant abhorrere, qui philosophia eo pervenerat, ut mortem malum non haberet. Atheniensium judicia quamquam multis laborabant vitiis, cum natura eorum arcte conjunctis: aptum tamen illud judicabis institutum, si cogites, judicis cum legislatoris negotio non commixtum esse illo more, qui certis finibus circumscriberet judices, quorum arbitrio alias latissimum patifactum esset spatium. Haec omnia conjecturam, quam ego de τιμήσει proposui, satis videntur probare. Sunt tamen nonnulla, quibus minus probabilis illa fieri videtur, quae jam paucis accuratius expendere in animo est.

Varii τίμησιν illam fuisse generis pro actionum varietate, verisimile est. Nam in actionibus publicis diversa fuit a τίμησει actionum privatarum. Quae et ipsae quamquam diversi erant generis, quum aliae ἀτίμητοι essent, aliae τιμητοί: τίμησις tamen, quae ibi occurrebat, eo plerumque videtur constitisse, quod aestimaretur, quid reo solvendum esset, quam quod poena constitueretur. Nonnullis tamen in actionibus privatis reus publice puniendus videri poterat, veluti si quis furti accusatus esset. Inde quibusdam in causis lege licitum fuit judicibus, uno eorum rogante, praeter mulctam, quae solvenda esset, poenam decernere, quae certis finibus erat circumscripta. Sic furti reus praeter mulctam, quae accusatori solvenda fuit, quinque dierum custodia puniri poterat, quod προστίμημα dictum est. Haec res, cur instituta sit, facile explicatur, si cogites, furti crimine non solum privatum quendam, sed rem publicam ip-

sam laesam videri potuisse, quapropter publice etiam puniendus videbatur reus. In actionibus tamen publicis, quum poena solummodo esset destinanda, ejus generis προστίμησις vix poterat adhiberi. Quod si factum esset, judicibus patuisset utique ratio quaedam et rei et accusatoris aestimationem augendi, quo medium aliquod efficere potuissent. At in actionibus publicis προστιμήσεως locum fuisse, vix credibile est.

Si vero quis de actionum privatarum τιμήσει certi aliquid flagitet, confitendum est, obcura hic quaedam videri. Huc pertinet, quod in actione privata αἰκίας accusatorem quidem rem suam aestimasse, reum autem ἀντιτίμημα non posuisse, sed judices suum arbitrium secutos esse, verisimile videtur Boeckhio in libro: die Staatshaushaltung der Athener Tom. I. p. 402, quamquam vix apparet, qua ratione ejusmodi τίμησις sit instituta, quum nesciamus, quis tandem judicum, si accusatoris τίμημα haud probatum esset, alterum proposuerit τίμημα, quorum si cuique suam in medium ferre licuisset sententiam, maximam perturbationem oriri necesse erat. Utcunque tamen haec res sese habet, in quibusdam causis privatis judices propriam secutos esse sententiam vix est, quod dubites. Ad hoc genus pertinuisse videtur actio βιαίων, in eum instituta, qui rem quandam vi abstulerat; nam in Isocratis oratione contra Lochitem quae leguntur: καὶ μηδεὶς ὑμῶν εἰς τοῦτο ἀποβλέψας, ὅτι πένης εἰμί, καὶ τοῦ πλήθους εἷς, ἀξιούτω τοῦ τιμήματος ἀφαιρεῖν, vix aliter explicari possunt, quam si conjicias judicum fuisse τίμημα aliquod.

In actionibus itaque privatis τίμησις quomodo instituta sit, quamquam in medio mihi relinquendum est: in publicis tamen pro certo

affirmare ausim, judices medium aliquod inter rei accusatorisque aestimationem decernere non potuisse, id quod Socrati fuit mortiferum. Quum enim crimini, cujus reus judicatus erat, accommodatam poenam sibi constituere nollet: judices coacti erant accusatoris probare aestimationem. Socratem itaque ipsum in culpa esse, quod morte punitus est, quidam fortasse contendunt. Recte illi quidem, si culpam nomines, quod potius meritum fuit. Nihil vero Socratis indoli minus congruum videtur, quam si is, qui antea non ut accusatus ante judices, sed uti rex erat locutus, poenam, qua omnium minime fuit dignus, ipse sibi eligeret. Ignavus appareret nobis is, qui philosophia mortem contemnere didicerat, si mortis timore neglexisset veritatem, quam per totam vitam coluerat, cujus studiosum ipse se profitebatur verbis: *ἐγὼ δὲ δὴ τίνος ὑμῖν ἀντιτιμήσομαι, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι; ἢ δῆλον ὅτι τῆς ἀξίας*: et paulo post: *τί οὖν εἰμι ἄξιος παθεῖν τοιοῦτος ὤν; ἀγαθόν τι, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ δεῖ-γε κατὰ τὴν ἀξίαν τῃ ἀληθείᾳ τιμᾶσθαι.* Sic Socrates doctrinae suae veritatem morte adeo probavit.

In omnibus autem, quae hucusque disputavi, exemplo illustrare studui, quod supra dixi, culpam iniquae summorum hominum sortis hominibus plerumque vix esse tribuendam, sed divini cujusque et excelsi ita comparatam esse naturam, ut ejus sedes domiciliumque in hac vita esse non possit, quum pessumdetur humanis rationibus, quibus illud augeri foverique non potest. —